Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



ad hebreos 321

f tibi et multiplicans multiplicabo te. et sic longanimiter patiens adeptus est repromissionem. homines enim per maiores sui iurant: et omnis controversie eorum finis ad confirmationem est iuramentum in quo habundantius volens deus ostendere pollicitationis hereditatis immobilitatem consilio sui interposuit iusiurandum: ut per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri dei fortissimum solatium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam et ingredientem usque ad interiora velaminis: ubi precursor pro nobis introivit iesus secundum ordinem melchisedech pontifex factus in eternum

VII

Hic enim melchisedech rex salem: sacerdos dei summi qui obviavit abrahae regresso a cede regum: et benedixit ei: cui et decimas omnium divisit abraham primum quidem qui interpretatur rex iustitie. deinde autem et rex salem qui est rex pacis: sine patre. sine matre. sine genealogia. neque initium dierum neque finem vite habens. assimilatus autem filio dei manet sacerdos in perpetuum intuemini autem quanto sit hic. cui et decimas dedit de spoliis abraham patriarcha. et quidem hi filii levi sacerdotium acceptantes mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem id est a fratribus suis quamquam et ipsi exierint de lumbis abrahae: cuius autem generatio non dinumeratur in eis decimas suscipit abraham: et hic qui habebat repromissiones benedixit:

g Sine ulla autem contradictione: quod minus est a meliore benedicitur. et hic quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem testatur quia vivit. et ut ita dictum sit per abraham et levi: qui decimas accipiunt decimatus est. adhuc enim in lumbis patris erat quando obviavit ei melchisedech si ergo consummatio per sacerdotium leviticum erat: populus enim sub ipso lege accepit. quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem melchi

i zedech alium surgere sacerdotem et non secundum ordinem aaron dici: Translato enim sacerdotio: necesse est et legis translatio fiat sunt quae et haec dicuntur de alia tribu est: de qua nullus altaris ministravit fuit manifestum est enim quia ex iuda ortus est dominus noster in qua tribu nihil de sacerdotibus moyses locutus est et amplius adhuc manifestum est si secundum similitudinem melchisedech exurgat alius sacerdos

k qui non secundum legem mandati carnalis factus est: sed secundum virtutem vite indissolubilis. contestatur enim quia tu es sacerdos in eternum secundum ordinem melchisedech reprobatio quidem precedentis mandati propter infirmitatem eius et inutilitatem nihil enim ad perfectum adduxit lex introductio vero melioris spei per quam proximamus ad deum et quatenus non sine iureiurando alii quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt: hic autem cum iureiurando per eum qui dixit

l ad illum iuravit dominus et non penitebit eum: tu es sacerdos in eternum in tanto melioris testamenti sponsor factus est iesus et alii quidem plures facti sunt sacerdotes idcirco quia morte prohibentur permanere